Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

regni et gloriam ad se conuersum ei donat. Saul
post se respicit, cum populus iudaicus quid fecerit, quid
passus fuerit reminisci incipit. Dauid se
inclinat, cum filius dei respectu sue miserati-
onis duriciam populi iudaici mitigat. Dauid
pronus in terra adorat, cum filius dei per sue incar-
nationis et passionis mysterium populum iuda-
icum saluat. Dixitque ad Saul. Quare audis
uerba hominum loquentium: Dauid querit ma-
lum aduersum te? Ecce hodie uiderunt ocu-
li tui, quod tradiderit te dominus in manu
mea in spelunca, et cogitaui ut occide-
rem te, sed pepercit tibi oculus meus. Dicit filius dei
populo iudaico, cuius dicere est facere. Quare audis
uerba hominum loquentium: Dauid querit tibi malum?
Quare audis, quare attendis fallaciam sacerdotum,
scribarum et phariseorum, contra me te prouocan-
tium? Ecce uiderunt oculi tui, qui perfidie
cecitate fuerant obscurati, sed modo fidei sunt
splendore reuelati, quod dominus in manu me-
a te in spelunca tradiderit, quod deus pater in
obscura ueteris testamenti littera redemptionis
mee mysteria tibi prefigurauerit. Cogitaui ut
te occiderem, ut gladio spiritus mei, quod est uerbum
dei, tuam perfidiam transfigerem. Oculus meus tibi
pepercit, quia animus meus a me auersum te non
dereliquit. Dixi, cum pro te patrem in cruce ora-
ui. Manum meam in dominum meum non extendam,
progenitorem carnis mee, populum iudaicum in
sempiternum non repellam. Quia christus domini est, quia filius
esse debet regni. Pater mi uide, populi iudaice
progenitor carnis mee, filium filie tue uir-
ginis MARIE me esse crede, et ut con-
sanguineum tuum me suscipe et dilige. Oram
clamidis tue in manu mea cognosce, finem
legis tue in humanitatis mee mysteriis
esse addisce. Cum summitatem clamidis tue
preciderem, cum incarnatione mea legis tue
cultum succiderem, nolui manum meam in te
extendere, propter consanguinitatis affectum.

nolui sanguinis mei uindictam in te transfundere.
Animaduerte per fidem, et uide per spem et karitatem,
quoniam non est in manu mea malum neque iniquitas,
quia illa tua repulsio quam patris mei dictauit
equitas, cordi meo immisit doloris generauit
angustias. Non peccaui in te, licet tu grauiter
et crudeliter peccaueris in me. Tu autem insidiaris
anime mee ut auferas eam, quia postquam me
crucifixisti, apostolos quoque meos usque ad mortem
persequi studuisti. Iudicet dominus inter me et te, tue
crudelitati indulgendo, et mee pietati pro te
miserendo. Vlciscatur me dominus ex te, redemptio-
nem sanguinis mei transfundendo in te. Manus
autem mea non sit in te, uindicta sanguinis mei
non stet in eternum super te. Sicut in prouerbio antiquo dicitur,
ex quo abel innocens a fratre suo cain crudeliter
occiditur. Ab impiis egredietur impietas, quia ab im-
piis iudeis filii dei crucifigetur humanitas. Ma-
nus ergo mea non sit in te, sed oratio mea quam fu-
di in cruce mea pro te ueniat super te. Pater
ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.
Quem persequeris rex israel, quem persequeris? Canem
mortuum et pulicem unum. Popule iudaice, quem
persequeris crucifigendo, quem persequeris in se-
pulchro custodiendo? Canis mortuus fuit
dominus ihesus christus crucifixus et in sepulchro positus,
qui predicatorum omnium primus fuit et maximus.
Quod enim per canes predicatores designentur, psalmi-
sta attestatur: Lingua canum tuorum ex inimicis
ab ipso. Pulex de humore terre nascitur, et ideo
per pulicem christus exprimitur, qui de humore uirginee
carnis per operationem sancti spiritus conceptus et genitus.
Filius enim dei qui pro salute generis humani ad sus-
ceptionem carnis dignatus est humiliari, rebus
quoque infimis pro amore hominis non dedig-
natus est assimilari. Sit dominus iudex, non autem sit
tue malicie et insipientie uindex. Iudicet
inter me et te, saluans te hominem reum, propter me
innocentem hominem deum. Videat et iudicet cau-
sam meam, suscipiens innocentiam meam, et di-